


DOCTORIS SIMONIS RAMOS MEDICI,

Apologia Medica: in qua disputatur contra temerariam opinionem cuiusdam Medici afferentis in doloribus pleuriticis exquisitis sepius non convenire sanguinis missionem, quã illustrissimo ac excellentissimo Duci de Medina Sydonia, Doctor ipse consecrat.



EPIGRAMMA

in laudem authoris authore

Licenciato Paulo

Orosio.

Quæritur in toto iudex æquissimus orbe
Cuius ad arbitrium lis dirimenda foret.
Est lis si cunctis liceat pleuritide in omni
Ægrotis venas forte secare suas.
Hoc tibi committit Fœbus, Silenius ipse
Hæc tibi de cælo iussa referre venit.
Tu insigne arbitriũ præfers nũc vnicus Heros
Verê te dignum præbet vt istud opus.
Quod docet ignaros ægrotis ferre salutem
Excelsumq; tuum nomen ad astra vehit.
Sic vt de hinc dicam in cælo est alter Apolo
Interris Ramos alter Apolo manet.

INCLYTO AC MAGNANIMO

Principi Dño Manucli Perez de Guzman el Bueno,
Duci de Medina Sydonia, Comiti de Niebla, Marchio-
ni de Caçaça, dignissimoq; Almadrauarum Domino,
totiusq; maris Occeani invictissimo Generali equiti
nobilissimo insignis belleris aurei. Doctor Si-
mon Ramos Medicus, salutemq; & perpe-
tuam desiderat felicitàtem, & apolo-
giam hanc nuncupat.

N *V* per audita morte tui excellentissimi Patris,
viri clarissimi, & omnium sui temporis pru-
dentissimi, sic animo consternatus sum vt nec
cor nec mens satis suo fungerent officio: parum abfuit quin
de Deo, & natura sim conquestus, quòd tantum lumen de
mundo hoc tempore sustulerint, tantum Hispaniæ orna-
mentum, tantam ætatis nostræ gloriam, quasi terrenæ rei-
publicæ bonis inuideat, nulla habita nostri ratione succide-
rint. Sed recordatus sententiæ Pauli qua inquit, iudicia
Dei auisus multa; continui me ne male de Deo, & de ope-
ribus eius impia temeritate sentirem. Te verò Dux inte-
gerrimè summa ope niti decet vt patris tui virtutem hære-
ditate possideas, & vt spiritus eius in te (vt speramus)
duplicetur sicut Helix spiritus in Heliseo. Hoc à te
spectamus hoc requirimus in hac communi nostra propter
suū obitum tristitia: & quia de hoc fidissimā habeo certitu-
dinem, facere nō possum quin tester apud te subitum animi
gaudiū profitearq; lætitiā, quòd familia tua nobilissimi,

tam insigni munere, tamq; eminenti tua persona cōmulata
sic. Tum gratulor etiā tibi, quōd propè immortalem cete-
ris tuis egregijs virtutibus gloriam conciliaueris. Audires
vtinā voces Hispalensis populi, fausta tibi nunc, & prof-
pera omninantis, aspiceres gestientem vbiq;, & concursan-
tem, ac lætitiæ suæ impotentem ciuium multitudinem, ple-
uemq; ipsam gaudiū capientē animis. Non senes grauitas,
non matronas pudor, non pueros infirmitas ab officio retar-
dat; pro se quisq; noui Ducis aspectū desiderat; sexus ætas
omnis exultat, vociferatur, manus ad cælum tendit; propi-
tium tibi Deum, prospera secundaq; omnia comprecatur.
Hac in occasione primā manū huic apologiæ imponebam
quā tuo nomini dicare decreuerā, à quo decreto me cōtinere
volui, quia quos aliquādo pedes tuos excellentissimos præ-
sens osculabar Comes eras, titulo minor, meritis virtutibus
& excellentijs semper æqualis, quare iisdē nūc illis absens
lætitiæ plenus ad voluar, & meā primā ratificabo cogitatio-
nē, vt vel sic eximia tua authoritate à canino dente defen-
dar: tu autē princeps excellētissime laborē hunc grato sus-
cipe animo, ita Deus omnipotēs, & ceptis annuat, & suc-
cessibus faueat, tuosq; semper dirigat gressus, & animā in
victissimi Patris in sinu Dei super cælos exultet, nomenq;
tuū in vniuersa terra celebretur; quod si feceris alios maio-
res labores nō ali, sed tibi meq; totū dicabo. Vale scientiarū
Patrone, & animulum istum meum in delitijs habeas rogo.



3
E M non nouam agredior,
sed longè latèq; patentem
quaestionem, quam si non
ucusq; in lucem ædidi, non
præterea remora damnetur,
sic enim melius contrariæ
opinionis deliria retorquẽ-

tur. Iam ergo grauidus animus parturiuit ea
quæ si antea parturierat periculum fuisset ne
in abortum desissent. Agrædior ergo contra
tã impiam doctrinam lucubratiunculis stu-
dio æditis, & industria scribratis, vt perniciosã
sanæ doctrinæ pestem lætifero veneno diffu-
sam abstulerim, hidram hanc extinxerim, har-
pias hoc est eius sophismata expulerim, qui-
bus non pauci fortasse fascinantur, & medi-
cinæ splendor obscuraretur, bona ingenia de-
luderentur. Iam iã mala quæ ex illa pernitiõsa
opinionem prodire poterant auertam, ne sub
medicinæ nomine cecutientibus oculis persti-
giosè imponat; Iarchamq; ex æreo trono vi, &
impetu veritatis dejicere, & Tantalifialam de
manibus excutere procurabo, tantũq; terroris
illi incutere, vt Pitagorẽ palenginesiam dedif-
cat, & Gigans iste fluuij Gangis filius læteo rore
perfusus suimet obliuiscatur. Libet fabulas

suas fabulis deridere. Hac enim apologia ad-
 versus malignas insanias instructa acie dimi-
 cabo, ut veram medicinæ lucem à tenebra, &
 nocte vindicare possim. Deus maximus omni-
 potens nobis secundis gratiæ suæ flatibus aspi-
 ret. Nec verendum quòd absit cœlestis gratia,
 ubi abundat iusti zeli causa, & defensionis ve-
 ritatis argumētum; quod opponitur opinioni
 cuiusdā vitiligatoris afferentis in dolore pleu-
 ritico exquisito, sepius à sanguinē nō cōueni-
 re ex venis extrahere. Quod prouat primo ar-
 gumento sumpto ab autoritate. Hippocrates
 namq; libro. 2. de ratione victus in morbis ac-
 cutis tex. 11. in prio descendens pleuritidis
 quæ inferiores, & notas costas dumtaxat occu-
 pat, infernam ex purgationem utpotē valdē
 proficuum admittit & laudat, sanguinis verò
 missionem è gibbero pro vacuatione succi in-
 flammationem obsidentis non prouasse appa-
 ret, aut certē nō æquē præsidium afferre posse
 credidit. Idemq; Hippocrates. 2. de ratione
 victus præcipit curationem doloris pleuritici
 exordiendam fore à fomentis (inquit enim)
Lateris dolorem siue per exordia fiat siue postea obortus
6. epid. sect. sit, tentare (calidis fomentis) dissoluere non ab re existit.
 3. tex. 40. *Ulterius. 6. epid. sectio. 3. tex. 44. Medicamentum*
(ait) cruenta spuentibus anni tempus pleuritis bilis, &c.

1. *Argum.
 contrariæ
 opinionis.*

Hippoc. 2.
 de ratione
 victus. 11.

2. de ratio-
 ne victus.

6. epid. sect.
 3. tex. 40.

4

In cuius cōmentario Galenus pleuriticos sanguinem spuentibus venam non seccat, sed solis utitur fomentis; quod experimento facto confirmat, his verbis. *Id vero mihi ulterius animadvertere contingit, cum librum de humoribus explanarem: inter explanandum enim quendam egrotum intuitus sum, qui me ut sanguineo sputo vexatus accersivit, sed cruenta ob lateris affectum spuebat. Sputum igitur ego conspiciens ipsum interrogavi, num aliquem dolorem in latere sentiret, ipse verbò exiguum se dolorem percipere fassus est. Talis autem erat eius habitus atq; vires, ut si sanguinem spuisset, quoniam morbi magnitudo urgeret ad seccandæ venæ auxilium accedere ausus essem, sed, cum morbus lateralis mitis admodum foret, necesse non esset. Et postea subdit. Ideò nec id genus remedij adhibuimus, atq; euidenter hominem hunc lateris morbo laborare cognouimus, & alijs huic morbo congruentibus remedijs citra venæ sectionem subleuatus est. Mitissimi enim illi sunt morbi, in quibus sputa cruenta eijciuntur. Item ipse Hippocrates in Anaxionis dolore sanguinem non extraxit vsque in diem octavum; fortasse quia sine sanguinis missione fuit eius intentio Anaxionem curare.*

Secundo sic ratione provare conabitur. Ut Medicus finem sui operis consequatur optatū, tribus tenetur uti conditionibus, citra quas im-

per-

perfectum, ac forsan nocuum efficiet; nã quæ facturus est, oportet fiant cito, iocundè, & tuto; tuto enim aliquid fit cum absolutionem consequitur, ac perfectionem necessariam, vel saltem quod fit non lædat, & quæ quieta sunt non commoueat citra conferentiam; sed descendens pleuritidis curatio per sanguinis missionem non est tuta, ergo nullatenus exercenda. Minorem probo quia in secura curatione non debet humor transire per membrum principale; at per sanguinis missionem facta curatione in descèdenti pleuritide transit humor per cor, ergo cautè Hippocrates abhorret sanguinis extractionem, quod Galenus confirmavit his verbis. *Verum quæ partes thoracis inferiores propè septum infestant flexione, non absre dolorem ad Hipocondrium transmittunt, quo fit vt dolores huiusmodi non admodum iuuet quæ in cubito fit vacuatio, corde (scilicet) medium occupante, nempe Venam quæ inferiores thoracis alit partes sub corde emergere audiisti.* Quibus verbis patet, eò esse veritam sanguinis egibbero detractionem in descendente pleuritide, quoniam inter inflammationem, & cubitum mediat cor per quem materia pleuritidis esset necessario ducenda. Traditum autè est ab ipso Galeno quod motus qui ad pulmo-

men

5

nem thoracem, & cor inclinat, bonus non est, 1. apho. 27.
sunt enim præcipua membra per quæ ducere
non oportet corruptum humorem.

Tertio: præcipuus scopus sanguinis mittendi est morbi magnitudo, sed sunt quam plures dolores pleuritici in quibus sanguis expuitur, ita mitissimi ut hoc remedio nullo modo sit opus, ergo in dolore pleuritico aliquando non est sanguis mittendus; minor prob. ex Galeno citato. *Quoniam morbi magnitudo urgeret (inquit) ad secunda vena auxilium accedere ausus essem, sed cum morbus lateralis mitis admodum foret, necesse non esset.*

6. epid. sect.
3. tex. 44.

Quarto: in pleuritide biliosa non convenit sanguinis detractio, nec in pituitosa & melancholica, ergo non in omni sanguinem extrahere necessarium est; probatur antecedens: species morbi indicat speciem auxiliij, sed quando morbi species procedit à causa quæ non auferitur sanguinis missione, sed purgatione, non debemus illa uti, cum chachochimix debeat ex purgatio, plenitudini autem sanguinis missio, ergo in pleuritico dolore ab humoribus præter sanguinem causato, non convenit sanguinis missio. Et confirmatur communi illo consilio A. B. inquit. *Cave summoperè tibi ne agrum ad unam duarum rerum perducas, scilicet humorum colericorum ebullitio-*

A. B. 4. primi tract. 2.

nem, & frigidorum cruditatem.

Quinto in maligna & pestilenti pleuritide non conuenit, ergo aliquando sine sanguinis missione pleuritim curabimus: ans probo; malignitas quæ ab humorum corruptela procedit, vires maximè destruit, & spiritus tam vitales quam animales dissipat, sed vbi adest, humorum corruptela cum virium imbecillitate, maximè abhorret sanguinis missionem Galenus, quia corruptio indiget contempamento quod alimento medicamento fit, & non sanguinis extractione, ergo sanguinis missio nullo modo in hoc casu debet exerceri.

Hæc sunt argumeta quæ pro parte huius Menodoti discipuli militare videntur, pro quorû solutione aliqua prius præsupponi necessum est.

Primo supponendum est, pleuritidem exquisitam, ex Galeno inflammationem esse membranæ costas subcingentis, vnde deducitur solum inter costalium musculorum inflammationem, exquisitam pleuritidem ex parte loci

dici minimè debere, sed nota seu ex puria: quare male Fernelius lib. 6. de morbis partiû, partium ca. ita designat. Dolor qui causam habet in musculis, qui extrinsecus costis incubunt, non vtiq; exquisita, sed nota pleuritis est, qui verò in musculis, mesopleuritis, vel inter-

Galen. lib. de sanguinis missione.

Galen. 5. de locus 2. & 2. lib. 3.

Fern. lib. 6. de morbis partium ca. de aegritudinibus thoracis.

hos,

hos, & membranam subcingentem, vel in vtriusque sedem
 incidit, ex situ vera, & exquisita pleuritis est. Quæ
 verba, a Galeni verbis aduersantur, præter
 quam quod solis intercostalibus musculis in-
 flammatis, cuncta pleuritidis pathonomonica
 signa reperiri nequeunt, & dolor magis pul-
 satorius quam punctorius ad oritur: in exquisi-
 ta autem pleuritide, nec in pulmonia vnquã
 pulsatio accidit, vt aperte insinuat Galenus
 inquiring; *Nec igitur in pleuritide, nec in pulmonia Galen. 2. de
 vnquam pulsatio accidit, idq; ob partium naturam; pulmo locis 3.
 enim sensum non habet, at pleuritis membrana subcingen-
 tis costas morbus est, atq; in hoc spacio arteriæ sunt, quæ per
 intercostalia vocata spacia extenduntur, & in profundũ
 magis delitefcunt; sed subcingentem costas tunicam haud
 quaquam pertingunt, &c.*

Secundo supponendum est, quod vt exqui-
 sita dicatur pleuritis in Galeni doctrina, non
 solum hæmone simplex intelligitur, verum
 etiã erisipelas, edema, aut cirrum, quia inflam-
 matio omnis ex humore quopiam redundãte 6. apho. cõs
 fit, & pro eius natura tum sputi species pleuri- ment. 3. &
 ticis superuenit, tum salutis aut mortis specta- 30.
 tio; eam enim quæ ex palidis sputis esset, ex
 biliosis humoribus ortum habere, & quæ ex
 spumosis, & aluis, expituitosis, quæ ex nigriori-

Fen. 13.
tract. 4. c. 1.

4. de præsa-
gatione ex
pulsibus. 3.

Præcipuè. 1.
apha. cōm.
12.

bus ex melancholicis; quæ ex rubris ex sanguine fieri certum est; cui doctrinæ etiam assentit. Abi. Quare nimium à Galeno desiscunt qui opinantur pleuritidem à materia magis frigida quàm calida, nullatenus dici exquisitã posse. Nec ijs quæ ex Galeno citauimus, opponuntur ea quæ lib. 4. de præfagatione ex pulsibus inquit, scilicet in thorace, & iecore edema pituitosum non nasci. *Compactior enim thorax est, quam qui eiusmodi fluxionem recipiat, & iecur non modo compactior, sed & sua naturali facultate pituitam alterat.* Quæ verba de simplici edematè à pura pituitate naci, & lenta disertare videntur, cui obtenacitatem, & crassitiam in compactioribus partibus additus non patet; aliter proculdubio accidere vsus ostendit, si portio bilis, aut tenuis sanguinis tanquam vehiculum permixta sit.

Tertio suppono inter omnes Medicos conuenire, signa quæ in pleuritide considerantur in triplici differentia versari, quædam pathomononica quæ talem affectionem ostendunt, vt propria & inseparabilia; alia absidentia, quæ possunt simul cum morbo oriri & abesse, aut mox apparentia, & hæc sunt coctionis, aut cruditatis, salutis aut mortis; aut critica, de quibus Galenus multis in locis sepè agit. Modo enim

enim solū de pathomononicis agere nobis ad
 propositum libet. Esse autem quinque; asserunt
 omnes, dolorem pungentem, difficilem respi-
 rationem, tussim, febrem acutam, pulsum
 durum & ferrantem. Omnium primū dolorē
 pungentem, seu punctorium assignamus, cuius
 causa est, quia ad partes acutē sentientes præ-
 fertim ad membranas attinet, ut ex Galeno *Galen. 2. de*
constat. 2. de locis. 5. in fine. Dolorū enim dif- *locis. 5.*
 ferentias docet Hippocrates cognoscere non
 solum ex qualitate doloris, aut eius quantita- *Hippoc. 6.*
 te; sed ab illius causa, à parte affecta, à situ, à tē- *apho. 5.*
 pore, & figura quas differentias latissimē Ga-
 lenus tradit. 2. de locis 7. Iam supra non esse *2. de locis.*
 pulsatorium aduximus ex Galeno citato, quia 7.
 dolor hic cōsequitur inflammatorios affectus
 in arterijs, & partibus ipsas continentibus, &
 mēbrana quę cingit costas arterijs caret, quia
 mediocritas caloris illius motu pulmonis, si-
 cuti pars convexa iecoris fere sine arterijs, sep-
 ti transversī motu conservatur, ut Galenus ait *Galen. 4. de*
4. de usu partium. 13. post medium. Est igitur *usu partium.*
 pungens quia locus patiens membrana est, 13.
 quę cum inflammata sit necessario dolorē in-
 vehit: ita libr. de constitut. artis Medicę dixit. *lib. de const.*
Pungens est quia affecta particula substantia mēbranosa artis Medi-
est, cæ cap. 5.

est, in tali enim parte humor ingreditur cū difficultate, ita
ut accuties sensum inferat. Est aliud signum accuta
febris, quia pars affecta insignis est, & cordi vi-
cina; idcō pleuritici acutē febris citant ut ipse
Galenus auit. 4. de causis pulsum. 8. in princi-
pio; quamvis pars sit exanguis tenuis, & pura
paucumq; humorē suscipiens. Quod reluctari
videtur Abicene doctrinæ, qui inquit, febres
inflammationum paniculorum esse debiles,
quod intelligendum est quando distant à cor-
de, nam si illi est vicina membrana, quamvis
paucum humorem suscipiat, febrem vehemē-
tem inflammata concitabit, præsertim si sit
calidus vehemēter, ut infrenitide patet. Unde
illorum opinio labat, ac corrumpit, afferentium,
febrem hanc diariam esse, quia Galeno autho-
re febris diaria utpotē parua & leuis accuta nō
est, quia caret periculo & magnitudine, & ipse
2. de crisi-
bus 13. in principio ait, febres dia-
rias nec ex humorum putredine, nec ex in-
flammatione partium internarum concitari,
sed solum in cruribus inflammatis oriri. Cuius
causam redit. 1. de differentijs feb. quia licet ibi
humor putrescat, fuligo putrida non cōmuni-
catur cordi, sed in loco putredinis manet et cir-
cumscrip̄ta, & solum caliditas communicatur
alte.

4. de causis
pulsum 8.

Abi. Fen.
1. 4. tract.
4. cap. 13.

3. de diebus
decretorijs
ultimo.

2. de crisi-
bus 13.

1. de diffe-
rentijs feb.

alteratione per continuum facta; & 2. de crisi- 2. de crisi-
 bus affirmat, febres inflammationes internas bus cap. 12.
 committentes, servare formam, & circuitus pu-
 tridarum. Quod Abicena confirmat cum in- *Abi. 1. 4.*
 quit febres quæ in sequuntur apostemata inter- *tract. 4.*
 na, non esse de genere diariæ, quia non solum *cap. 13.*
 caliditas, sed etiam putredo communicatur;
 quod aut propter magnitudinem inflamma-
 tionis aut inflammatae partis propinquitatem
 solet contingere. Quare Vallesius ab hac do-
 ctrina discedens aberrat, dum probare intēdit *5. cōtro. 23*
 febres inflammationum internarum esse dia-
 riarū natura, licet constitutione limites diariæ
 excedant. Sunt eius verba sequentia. *Ceterum*
non video cur bubo & inflammatio externa cum suscipit
febrem, caloris facti in spiritibus causa sit, non tamen ea
quæ est interna, cum & potentior & vicinior causa sit.
 Quæ sententia omnino est rejicienda, quia
 rationes quibus deducitur non convincunt.
 Namque si inflammatio externa diariam va-
 let concitare febrem, propter illud est, quia
 sine fuligine putrida, sola caliditas communi-
 catur. Si enim propter inflammationis magni-
 tudinem exterior cordi cōmunicatur putredo,
 tunc non diaria, sed putrida fit febris. Cū igitur
 ex inflammationibus internis propter vicini-
 tatem

tatem, & partium cōmunem consensum simul cum caliditate putredo cōmunicetur, nō diaria, sed putrida concitatur, quę peculiari curatione haud æget nisi sola inflammationis remotione, quia cessante cōmunicatione fuliginum, celeriter & febris cessat, & vitium in humoribus contractū, cum breui tempore fuligines discutiantur.

Tertium signum est respirandi difficultas; fit enim difficilis anhelitus, propterea quod ob dolorem distendere ut oportet thoracem non valent pleuritici, invalidis siquidem extensionibus dolor subinde invalescit, vnde parua emergit & difficilis respiratio, cui adiungitur frequētia, ut illa suppleatur impeditæ respirationis usus.

Quartum signum est tussis, quæ naturale quoddam est symptoma quod indidit natura thoraci, & pulmōni ad id quod contristat expellendum. Interdum enim apparet sicca quia nihil excernitur, sæpius vero est humida, nam cū tunica interna qua interiores partes cooperiuntur non sit ita crassa, & dura sicut cutis externa est, sed qualis est oculi, & palati tunica, ex quibus propter tenuitatem, & raritatem semper aliquid refudat, ut 1. apho. 12. post mediū,
& lib.

& lib. de constit. artis Medicæ Galenus est au-
thor. Quando igitur ex inflàmata pleura mo-
mentaneum aliquid refudat, vt contingit in
multa, & tenaci materia inflàmationem cau-
sante; quòd effluit, pulmone communicatur, &
humida tussis apparet; quod si tunica crassa
densaq; sit, & fluxio pauca, & crassa, tunc nihil
refudat, & si quid effluit solùm irritat citra hoc
quod aliquid excernatur.

Quintum & vltimum signum pulsus durus
& ferrans est, qui celer & frequens est, & in-
æqualis in vnica pulsatione in pluribus arteriæ
partibus, ita vt imaginem ferræ repræsentet
cum aliqua bibratione, quæ partium interna-
rum inflàmationibus, præsertim illis quæ in
partibus nerbofis sunt, familiaris est. Sicut
enim ferræ habet partes eminètes quas vulgus
dentes appellat, aliàs verò deprellas, ita in di-
uersis partibus arteriæ in hoc affectu cõtingit.
Durus fit pulsus propter tensionem quam in
pleura facit inflàmatio; potiusq; ex duritie
pars affecta significatur, ex ferrante autem af-
fectio, quod significauit Galenus 2. de crisi-
bus cum inquit. *Pulsus igitur laterali morbo laborantium* 2. de crisi-
hæc omnia indicat, sed non eodem modo omnia, sed qua qui- bus 10.
dem vna cum tensione durus est, nerbosum esse locum pa-

Citatio loco.

4. de causis
pulsuum 8.

tientem ostendit, qui vero ferræ similis est, dispositionem esse inflammatoriam. Et lib. de constitut. artis medicæ. Duritiem vero ac tensionem coniunctam habent, quia pars ea quæ flegmone tenetur nervosa est. Et 4. de causis pulsuum. Licet inflammatio sit quæ facit hanc tensionem, tamen non ubiq; , sed magis in parte nervosa, quæ ex se tensa est. Ideo partem illam affici dixit.

Sed ut nulli dubio relinquatur locus, quod fortasse aliquis suscitabit dicens, nunquam pulsum ferrinum posse fieri nisi corpus arteriæ inæqualiter affectum sit, ita ut quædam partes arteriæ moliores, quædam duriores existant; sed tensio propter inflammationem ortâ æqualiter indurat arteriam, ergo licet pulsus sit durus non erit ferrinus.

Cui dubio responderetur ob duas causas pulsum fieri ferrinum, altera quidem est quando urget usus, & corpus arteriæ inæqualiter est affectum propter causæ, & affectus diversitatē. Secunda est quando urget usus, & facultas vitalis est oppressa, impedita & irritata, tunc inæqualiter in unico occurso diversas arteriæ partes movet cum quadam vibratione; qua ratione in exquisita pleuritide talis observatur pulsus; & quando mitis est multo minus apparet, in graui & difficili magis, præsertim in incre-

mento

mento, & statu vt 4. de causis pulsum Galenus expresse docet: quare meo videri, fallitur *Galen. 4. de causis pulsum 8.*
 Doctor Illesonius Nuñez, mei valde amantissimus; & eximia apud me authoritatis, nostro-
 q; tempore in re medica versatissimus, qui suo eruditissimo libr. de pulibus sectione 4. de *D. Illesonius Nuñez lib. de causis pulsum sect. 4. c. 4.*
 causis capite 4. propè finem, solum in arteria tensionem, & duritiem, serrantis pulsum causam refert. Tense autem cum sint, aut dura quaedam partes magis quam reliquæ minus eleuantur, quare arteria partes eminentes, & depressas ad modum ferræ representat. Hæc ipse quæ mihi non arident cum inflammationis magnitudo aut durities, causæ sint æqualis tensionis in arteria.

Traditis ergo iã signis exquisitæ pleuritidis, eorumque causis declaratis, dico 1. In omni pleuritide exquisita, venam seccare valde necessarium est; cuius conclusionis veritas clarior est, quã vt multis verbis ostendi oporteat; nec nos aliquid quod ab Hippocratis, & Galeni doctrina desciscat, proferre vnquam cogitabimus: satis esse ad redargutionem existimantes, si quid ægregijs summisq; his viris nõ conveniat. Igitur animosa veritate cogente, hæc conclusionem intrepide, tanquã principium tutissimum verissimũq; axioma ita amplectimur, vt in

illius probatione nec minimū tēpus cōsumamus, quare nec amplius autoritatibus, nec rationibus eget; siquidem à prisca, & nova medicorum schola aplaudente (nemine dempto) vt tutissima certissimaque exercetur, & promuro ah æneo tuctur, explosis contra ipsam innanibus argumentis.

2. a. Rertio.

Dico 2. In descendenti pleuritide, que semper exputia est, si inflammatio ex calidis humoribus ortum ducat, febrisq; adiungatur vehemens, semper convenit sanguinem mittere, nullo modo expurgare. Conclusio hæc ita est

Hippoc. 4.
de ratione
victus cita-
to.

ad ipsius Hippocratis mentem vt ipse 4. de ratione victus, non contrariū modo sensisse, sed & conceptis verbis expressisse planè est visus. Quicumq; autem (inquit) inflammata statim per morbi initia medicamento solvere conantur, ij ad distenta inflāmataq; parte, non solum nihil adimunt (cum nō cedat que adhuc cruda est affectio) verum quoq; & que morbo resistentia & sana sunt, absument contabesciuntque: ductoq; ad imbecillitatem corpore morbus superior evadit; qui vbi corpus vicerit, remedium non habet. Vetat hoc loco apertissimè Hippocrates flegmone obsessas distentasq; partes ab initio medicamento agitari, cum id facere tentant non cedat affectio vtpotè cruda existens. Sanæ autem, & morbo

morbo resistentes partes à medicamento absumuntur, & in imbecilitatem corpus deducitur, quo infirmiori facto facile morbus vincet.

Præterea ipse medicinæ parens libr. de me- *Hippo. lib.*
 dicinis purgantibus asserit quod laborantibus de medici-
 validissimis febribus medicamenta purgantia nis purgan-
 dare nō oportet. *Donec remisserit febris. Qua ratio tibus.*
 ne in acutis morbis raro, & in principijs me- *1. apho. 24*
 dicinis purgantibus utendum est, eodem au-
 thore. Cum ergo sæpissimè febris vehemen-
 tissima pleuritim committetur, etiam si dolor
 ad inferiores partes finiatur, tutius multo existit
 per venæ sectionem quàm per purgationē
 vacuare. Ad quod facit elegans Galeni sentētia
 2. de ratione victus, cum inquit. *Cōsiderare igitur 2. de ratio-*
 hæc, atq; memoria tenere nos oportet, sed non perpetuo in *ne victus 11*
 pleuriticis uti debemus, ad memoriam reuocantes aphorismum
 illud ubi dicitur: in acutis morbis raro, & in principijs
 purgantibus medicamentis est utendum: ubi igitur nō
 solum acutus morbus fuerit, cuiusmodi est pleuritis, verū
 & cum febre vehementissima multo magis vitanda est
 purgantis medicamenti administratio, atq; per sectionem
 venæ vacuandum magis, etiam si ad Hypochondrium dolor
 finiatur, nempe & si minus quidem auxilium quam per
 purgationem sequatur, securius tamen multo existit, immò
 nullum ex eo, quod per venæ sectionem fit, periculum im-

pendet, eo discrimen maximum subeunte quod per purgationem tentatur, &c. prælegit enim Galenus venesectionem quamvis minus proficiat, quia eius usus securior est quam purgationis, ob multa incommoda quæ possunt in purgando evenire, quæ ibi enumerat.

3. a Bertio.

Hippo. &
Galen. 2.
de ratione
victus 11.

Abi. 10.
lib. 3. tract.
4. cap. 6.

1. apho.

Dico 3. In pleuritide descendenti si febris vehemens non adiungatur, & ægrotantis natura fuerit cognita, & idonee se habeat ad purgationem; in hoc casu uti possumus medicamento purgati; & hoc est quod voluit Hippocrates citato, & Galenus in commentario confirmat his verbis. *Cum igitur febris vehemens non fuerit naturamque laborantis expertus fueris ad medicamentum purgantem potum te conferes.* Et ratione probatur, quia dolor descendens, semper à causa pituitosa, aut melancolica proficiscitur, quæ utpotè frigida, non ad claviculam, sed ad hypochondria, & imas partes vergit, ibique dolorem infert. Quod etiam voluit Abicena his verbis. *Dolor inflemmatica, aut melancolica secundum plurimum est descendens ad lenitatem tendens, & in alijs duobus est ascensus inflammatus, &c.* At in doctrina Hippocratis, humoris vergentiam spectare oportet, quo enim magis natura vergit per loca conferentia eo ducere ipse consultit. Ergo optimo consilio in descendenti pleu-

pleuritiside, & dolore à pituita & melâcolia cau-
 lato, medicamentū exhibet subductorium. In
 eadē enim pleuræ parte consistens inflâmatio
 diuersa, diuersam affert condolentiam: ex hu-
 moribus quidē calidis & leuibus, & ebulienti-
 bus, sursum ad clauiculā, ex frigidis vero sub-
 sidentibus, & impetum deorsum facientibus,
 infra ad hyppocōdria: in illa sanguinis missio
 est idonea; in hac si venam secces cruditatem
 augebis, & peccantem humorem nō extrahes;
 quare statim inter initia antequam crudi hu-
 mores firmentur in parte, expurgans medica-
 mētum (quod aut pituitam, aut melancoliam
 vacuet) propinat Hippocrates. Ob id colochin-
 tidem & eleborum Galenus admisit, schamo-
 nium verò reiecit quoniam bilem evacuat.

Dico 4. Dolor pleuriticus leuis & placidus
 sine plenitudine, à causa leui & secura, veluti *4. a Bertio.*
 sanguinea est, causatus, potest absq; sanguinis
 missione curari: securius tamē est sanguinem
 mittere. Hęc conclusio duas habet partes.

Prima, quod sine sanguinis missione curari
 possit, probatur authoritate Galeni citato cum *6. epid. ci-*
 testatur quendā ægrotum se citra venæ sectio- *ta: o.*
 nem curasse, alijs congruentibus remedijs
 vtens, qui morbo laterali eoq; miti labo-
 rabat. *Quoniam morbi magnitudo vrgeret ad*

Celsus Tra-
lianus &
Aetius pro
prijs capit.

2. de ratio-
ne victus 1.
4. metho. 6.

secundæ venæ auxilium accedere ausus essem, sed cum mor-
bus lateralis mitis admodum foret, necesse non esset.
Eiusdē sūt sentētię Celsus Tralianus atq; Aetius
qui denota pleuritide verba faciens, hæc asse-
rit. Quod si mediocris infestet dolor, & non pungitius
nec adsit tussis, nec febris acuta non est opus magna re-
media adhibere. Solis igitur fomentis in læuibus
pleuræ inflammationibus vtendū fore, hi au-
thores & alij consulunt, authoritatē, & senten-
tia Hippocratis firmati supra allegati cum in-
quit. Lateris dolorem siue per exordia fuerit, siue postea
obortus sit, tentare (calidis fomentis) dissolvere, nō absre
est. In qua sentētia nonnulli allucinantur opi-
nantes eum talia adhibere medicamenta, non
vt eisdem curetur pleuritis si totum corpus
redundantia vacauerit, læuis, facillimaq; sit:
sed vt dignoscatur dumtaxat, ac manifesta sit
affectio. Verum qui talia fantur non animad-
uertunt ignorantie notam Hippocrati tribue-
re, qui nō nouisset exactē morbum lateralem
priusquam fomenta calida adhibuisset. Quod
de tanto viro haud quaquam asserendum est.

Secunda conclusionis pars prob. argumēto
supto à Galeni authoritate; cui satisfaciet ne-
mo. Si homo expers omnis redundantiæ cadat
ex alto aut percutiatur, venæ sectione æget ad

inna-

innaniendū corpus, & rebellendā fluxionē; ergo si ab intrinseco fluxio ceperit irruere in pleurā, ad prohibendum illius incrementū, curationisq; securitatem, venæ sectio videtur necessaria.

Præterea, valdè suspectū est fomētis vti calidis ad dolorem sedandum antequā præcedat vacuatio, alias maiorem excitabūt, humoremq; magis impingent. Hæc enim est natura fomentorum, ut nō modo impuro existēte corpore augeant flegmonem, sed si non adest, sepe possint accersere, ut 11. Metho. habetur à Galeno cū de medij corporis providentia agit. Ut igitur appertē Galenus innuit, tunc ijs utemur, cū aut malū leue est, quod existimamus maiori auxilio nō egere, aut corpus est innanitū, ita ut metus sit ne aliquid in corpore erret superfluum. Quod si nec vniuersum corpus, nec præcipuas partes multa occupauerit plenitudo, sed fluxionis origo à circumstantibus dūtaxat, & vicinis partibus pēdeat, febrisq; leuis, aut nulla sit, & de hoc fidissimā habeamus certitudinē; tūc nobis nequaquā videtur contempnendum Galeni consilium, qui obnixè & clare proficitur in pleurítico quodam venā non secuisse. Sed nostra ætate vix fieri potest ut credas aliquando talia esse corpora, & si fortasse sunt, cognitu difficilima, ideo vsus fomentorū ante evacuationes suspectus est, nec aliquis modo auderet sāguinis mīssionē præ-

6. epid. citato.

remittere, nisi ubi dolor sine febre reperiretur.

Quavis ex dictis cōclusionibus veritas, planēq; responsio pateat ad argumēta cōtraria, quia tamē is scopus propositus a nobis est, ut nō solū dispute mus, verū quęcūq; argumēta sophistica sectemur, ut veritatē in hac re magis exponam', scholasticū ordinē sequētes, fas erit illis, & prius authoritati- b', quod ad maiorē pertinet machinā respōdere.

Ad Hippocratem qui 2. accutorū pleuritidem descendētē medicamēto purgāti curat: hoc fecit se quādo pleuritis ex frigida, atq; cruda materia oritur; non autē in calida quæ vehemētē febrē, & dolorē claviculæ, ob humorū ex qua constat le- uitatem, & effervescentiam, causat. Descendens autē quę ex frigidis humorib' sua sponte grauib' nō ad claviculā, sed ad hypochondria, imasq; par- tes vergit, inibiq; cōdolentiā infert, febrē nō ve- hemētē facit; quare inter initia dū humores crudi, sunt in motu, antequā firmentur in parte, expur- gans medicamentū, quod pituitam aut melāco- liam evacuet, propinat Hippocrates. Dolor enim hic exortus ex crudis & viscosis humoribus, qui aliquādo se in vacuum thoracis locū repentē inge- runt, aut in ipsum pulmonem, & multitudine sua subcīgentē latera intrinsecus peliculam disten- dentes inferunt dolores: imaginationē factę inflā- mationis in expertis inhibent, quin etiā vias spiri- tus intercipientes, vehementem respirandi diffi-

eultatem inducunt: vnde aliquando medici errore
 seducti, vena cubiti incisa, multoq; sanguine e va-
 cuato, mortis causam ægris præbuerunt, vt Aetius
 est author. De quo dolore mihi videtur Hippo-
 cratem intellexisse: nã si in vacuum thoracis spa-
 tium penetret huiusmodi humor, ad septum vsq;
 præ gravitate decidat est necessũ; & hypochondria
 facile trahet in consensum: verã namq; pleuritidẽ
 quantũcumq; sit pituitosa aut melancholica, atq;
 ad præcordia pertineat, sine venę sectione aliqua-
 li transigere post Hippocratem omnes formidãt,
 ex morbi genere (quod scilicet inflammatio est)
 indicatione sũpta. Et de hoc doloris genere etiã
 intelligendus est cũ curationem fomētis exordi-
 tur, vt si possibile fuerit illis solis curationẽ perfi-
 cere, non ad maius remedium perveniatur. Aut si
 mavis dicere, loci huius sensum esse de leui facil-
 limaq; inflãmatione pleuræ, de qua in prima par-
 te quartæ cõclusionis retulim⁹, nec quod ibi Hip-
 pocrates inquit, esse impedimentũ sanguinis mis-
 sionem, quidquã moueat ad contrariũ sentiendũ:
 namq; pleuritis non impedit venę sectionẽ, licet
 eã non exoptulet cũ parua, & mitis est: imò sem-
 per si seccetur securius (vt diximus) agetur. Quare
 accuratè Vallesius interpretatur dicendo. *Impedimẽ-
 tum dici, non quod missioni sanguinis, sed quod curationi sim-
 pliciter obstat.* Quasi vellent dicere Hippocrates, cum

*Galenus lo-
 quitur 6.
 epid. citato.*

quis sanguinis sputo laborat, tempus anni valdè,
aut calidū, aut frigidū, & pleuritis: si (scilicet) simul
tenetur pleuritide vt fieri solet, & bilis in toto cor-
pore redundās, impedimēto est quo minus rectè
curetur. Cuius rationem inquit est. *Quia pleuritis nō
aliter curari potest quam excreando, nec hæmotoys quidquam
petit magis quā thoracis quietem, vt ne loqui quidē talibus li-
benter permittamus. Quare nō debet legi impedimē-
tum venæ sectionis, sed impedimentū curationis:
& illa particula (venæ sectionis) tollenda, & loco
illius (curationis) ponenda est.*

Hanc esse legitimā huius loci explanationem,
facile intelliges ex Galeno in cōment. 16. primæ
1. apho. 16 sectionis, vbi ita scriptū est. *Etenim contraria indigent
curatione sputū sanguinis, & pleuritis. Concludit Valle-
Valles. ci. sius. Si igitur contraria petunt auxilia, necesse est mutuo
tato loco. sibi impedimento sint.*

Ad id quod vltimo autoritate summi Hippo-
cratis comprobatur de Anaxione, cui vena cubiti
secta est in octaua die, in qua morbus non erat in
principio: facillimè tollitur difficultas ab ipso-
met Galeno 1. apho. dicēte, quod signa coctionis
1. apho. 12 termināt illud principiū quod est pars totius mor-
1. de crisi- bi. Et alio loco eiusdē cōmentationis, quod cru-
bns. didissim⁹ morb⁹ est in quo nihil expuitur. Cū igitur
Anaxion ad vndecimū vsq; diē nihil spueret, se-
quitur crudissimū vsq; ad eam diē fuisse morbū,

& vt sequens est, venæ sectionē in octaua die, in principio factā fuisse. Nec admiratione dignū est principium pleuritidis ad tot dies posse perducī, legenti apud ipsum Galenū lib. 1. de crisi- bus, perdu- rare principium pleuritidis, quousq; pauca, & cocta ægrotans ceperit expuere. Quòd cū in Anaxione nō in vndecima, sed in decima septima cōtigerit, sequitur ad eā vsq; diem principium fuisse dilatatum.

In 2. argumento probatur non esse tutam san- guinis evacuationē in descendēti pleuritide prop- ter transitū humoris per cor, quòd cōprobatum fuit Galeni autoritate citato cū inquit. *Quo fit vt Gal. citato...*
dolores huius in non admodū iuuat, quæ in cubito fit vacuatio, corde (scilicet) mediū occupante, nempe venam quæ inferiores thoracis alit partes sub corde emergere audiisti. Quæ sen- tentia nihil sua obstante ratione, potest taxari. Arbitratur quippè Galen' nō aliter sanguinē à pro- paginibus venę sine coniuge (asigos dicta) hauri- ri posse, nisi ad capacitātē eiusdē venæ sine pari, quæ sub corde emergit, sanguis iterū remeet: quę cū nullā fere societātē cū basilica in brachio ineat, plurimūq; ab ea distet, & cor mediū occupet, non videtur sectionem basilicæ multum iuuare posse.

Sed (vt breuibus rem hanc absoluamus, totaq; dubitatio evanescat) scire expedit anothomica experientia modo constare, aliter quā modo Ga- leni, sanguinē à propaginibus venæ asigos hauriri

facile posse, secta eiusdem lateris affecti basilica. Coeunt enim per anostomosis invicem in utroque latere propagines venæ asigos cum ramis, & propaginibus venæ cavæ eiusdem lateris; nam inter axilarem, & cefalicam venam propè iugulum, ab utroque latere quædam media oritur vena ab axilari ferè nascens, à qua plurimæ productæ propagines, tandem cum ramusculis venæ sine pari copulantur. Hæc autem Andreas Laurentius expendens carpit Vesalium, & alios Medicos existimantes in descendentem pleuritide sinistra, non sinistram basilicam, sed dextram esse seccandam, propterea quod (aiunt) vena asigos à latere dextro venæ cavæ propè cor oritur, quæ per spinam delata ex utroque latere octo costas alit inferiores. Sed quod diximus ex vasculorum coniunctione mutua in utroque latere per orificiorum reserationem, abunde istam redarguunt sententiam. Tres enim (asserit Laurentius) & interdum quatuor thoracicarum rami, cum quatuor venæ coniugij expertis ramis coeunt. Primus quidem inter tertiam, & quartam costam, alter inter quartam & quintam, tertius inter quintam & sextam, postremus inter sextam & septimam. Profecto si novum hoc inventum cognovisset Galenus, proculdubio non assereret utiliore esse purgationem, sanguinis detractione, ad vacuationem humoris qui

And. Laurentius lib. 6. suarum q. anatomicarum. c. 8.

in venas notharum costarum in pleuritide descendenti decubuit. Tenendum igitur erit, non solum securius ut Galenus voluit, sed longè utilius esse, in principio descendens pleuritidis, basilicam eiusdem lateris seccare, quam expurgare. Quòd assidua experientia ita esse affirmat, exiguum in oppositum Galeni ratione obstante.

Ad tertium patet solutio ex eis, quæ dicta sunt in comprobationem quartæ conclusionis.

*Galen. 6.
apho. 33.*

4. Argumentū supponit pleuritidem ex omnibus humoribus posse generari, quod libentissimè fatemur, & constat ex Galeno 6. apho. vbi inquit. *Dictum autem à nobis est vbi de morbo laterali sermonem habuimus, quòd lateraliū morborum, hi quidem qui vna cum pallidis, & flavis sit sputis ex biliosis humoribus habet, hi verò qui cum spumosis, ex pituitosis, sicut qui cum nigris ex melancolicis, qui verò cum rubris ex sanguine: est enim lateralis morbus inflammatio membrane quæ subcingens nominatur. Cum ergo vna quæque inflammatio ex alicuius humoris abundantia gignatur, pro eius natura, & sputo species, morbo laterali laborantibus advenit, & spes salutis, aut mortis habetur. Hic ergo apperte ex quolibet humore excitari fatetur; sed non ex quolibet humore sincero & puro, sed cum sanguine permixto intelligendum est.*

*2. de locis
ultimo.*

Cuius

Cuius per mixtionis videtur Galenus mentionem fecisse 2. de locis cum dicit. Quippè iam ostendimus omnem inflammationem ex affluenti fieri sanguine, quapropter si biliosus fuerit sanguis, flavum aut palidum erit sputum. Idè afferit dū alios recenset humores. Quare necessario non propter hoc solum, sed quia omnis inflammatio passio calida est, venam tundere ad refrigerandum oportet.

Ad 5. Respōdetur, nihil obstare quod pestilentialis sit, siquidè vt modo diximus, semper est calida passio ex sanguine orta; cui si conditio pestilentialis adiungatur, hoc est vagans, & pernitiōsa fuerit pleuritis, tūc sanguis in quantū fieri potest, est longissimè à principalioribus mēbris distrahēdus, quòd per maleoli, vel tali, magis, quam per alterius venæ sectionem fieri nemo ignorat: parcius tamen quā affectus exoptulat, & victū crassiflorem administrando, ne humorum corruptela, & alimonix tenuitate, ægrotantis vires omnino dejiciantur.

Hæc sunt, quæ pro salute morbo laterali laborantiū, contra tam insolentem temerariamq; cuiusdam Medici experientiam, mihi enixissimè laboranti occurrerunt, quibus lectis quiescet. Deus optimus maximus tantū huic apologiæ aspiret, vt optata inde cunctis ægrotātibus sequatur sanitas, vniuersæq; christianæ reipublicæ sit profutura.

L A V S DE O O. M.